

1272. Gregorius 10^{us}, 10, d. 10.

Hic, natione Placentinus, 3^o pontificatus sui anno Lugduni solempne concilium celebravit pro utilitate Terre Sancte. In hoc Greci ad unitatem sancte ecclesie se redire professi sunt. In cuius rei signum Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere affirmaverunt. Mortuus est autem et sepultus Arecii ... [Thomas de Aquino].

F. 30'. 1277. Nycolaus 3^{us}.

Hic, natione Romanus, apud Sanctum Petrum edificari fecit solempne palacium et grande viridarium muro circumdari. Huius tempore Syculi regi Karolo rebellantes, ut moris ipsorum extitit ab antiquo, quam plures ex Gallicis occiderunt et Petrum regem Arragonis super se unanimiter prefecerunt.

1280. Martinus 4^{us}.

Hic, natione Gallicus, vir magnificus, predictum Petrum Arragonum privavit utroque regno et tamquam manifestum ecclesie hostem et invasorem violentum ipsius iuris anathematizavit eundem. Regnum vero ipsius concessit Karolo, filio Phylippi regis Francorum. Mortuus est autem Parusii et sepultus ibidem.

1284. Honorius 4^{us}.

Hic, natione Romanus, apud Sanctam Sabinam nobile palacium fecit edificari. Is sententiam, quam Martinus huius nominis 4^{us} contra Petrum Arragonum protulerat, confirmavit. Mortuus est autem Rome et apud Sanctum Petrum sepultus est.

1288. Nycolaus 4^{us}.

Hic, natione Ascolitanus, prius extitit frater Minor. Huius tempore Tripolis civitas undique vallata muris et Ackaron hinc muris et turribus, inde mari circumdata, a Sarracenis depopulate sunt et everse, magna utriusque sexus christianorum multitudine interempta et captivata.

1294. Celestinus 5^{us}, 5 m., d. 17.

Hic, natione Apulus, heremiticam vitam ducens, in papam eligitur. Cum autem pontificalem gloriam adeptus esset, simplicitatem et humilitatem necnon vite austeritatem pristinam non reliquit. Hic minus ydoneum se intelligens ad papatum, ordinatis 12 cardinalibus reformatoribus¹ ecclesie, papatui renunciavit, facto super hoc prius solempni decreto.

1294. Bonifacius 8^{us}.

Hic natione Campanus.

F. 31–36' der Kaiser katalog ohne die alte Ordnung, ebenso kurz wie die Päpste. Schliesst f. 36':

1211. Fredericus 2^{us}, 33.

Hic Fredericus, superioris Henrici et sororis² Gwilhelmi regis Sycilie filius, Ottone, ut predictum est, reprobo, per

1) 'refofcō' Hs. 2) Hs. setzt zu 'et'.